

## QVÆSTIO III.

Nazianzenus *in laudem Gorgonitæ. Ambrosius l. i. de Virgin.*

IX. Supereft, ut cum Crispitudine, qvæ vel naturalis est vel arte facta, colophonem Qvæstioni etiam huic imponamus. Cui igitur Capillamenta probantur, ei Crispitudo, haud avellendum illud a Galericulis honestioribus Adjunctum, vix inter opprobria & damnandi necessitatem reputabitur ; nisi forte sit, qvi Capillamentorum structuram hirsutis setis similem expetat & exspectet. Non infrequentem hanc Veteribus, nec de honestamento Capitis annumeratam ex iterata passim Auctorum commemoratione colligimus. Conf. Horatius *Epist. I, I, 94.* item Seneca *de breuitate Vitæ,* cujus verba superius a nobis allegata in Præ-exercit. §. 10. De Ulyssse Homerus :

----- Crispamque in vertice fundit  
Cæsariem, & gratos hyacinthi flore capillos.  
Germanis crispitudinem comarum adscribit, præsertim Cat-tis Alex. l. sæpe *alleg.* Qui de veterum itemque hodierna crispandi crines methodo & ratione plenius informari satagit , adeat iterum Dn. Rangonem Tract. allegato *C. VI.*  
*Membr. 7.* Adducit idem ibidem de Crispatione Plinium  
*l. 22. c. 21. & 22. l. 24. c. 6.* Sebitzium *Disput. 2. de Pilis,* Ju-nium *de Coma,* Aristotelem *l. 5. de Gener. Animalium.*

## ANTITHESIS

## I.

Expositis ita Qvæstionibus, restat ultimo loco, ut Anta-gonistas nostros in capillari controversia, omissis tamen eorum argumentis, qvæ publico conflictui reservantur, quasi in aciem educamus. Ut autem rem ab ovo qvod ajunt exordiamur , Anno 1642. Irenæus qvidam Poime-nander